

Nostra sententia, confessarius frustra conaretur discrimen inter restrictiones pure et late mentales explicare rudioribus. Si qui hujusmodi poenitentes, ut non raro contingit, exponunt se fuisse coactos ad mentendum, puta ut vitarent discordias, blasphemias etc., responderi poterit: haec non esse vera mendacia, sed licere, quin hujus liceitatis ulterior explicatio praebeatur. Non est enim incommodum si rudes mendacia licita appellant quae a Theologis communius restrictiones late mentales vocentur. Iis qui ingenio sunt cultiori theoretica explicatio, pro singulorum captu, dari poterit. Sed cavendum est a scandalo pusillorum, cum multi hanc restrictionum mentalium theoriā calumnientur, quasi hypocrisin et deceptionem foveat: quod multo magis attendendum erit, si agatur de permittendo juramento cum mentali restrictione.

**417. V.** Ex justa causa licitum est restrictionem late mentalem **juramento firmare**; justa autem causa esse potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia. (S. Alph. n. 151) Ratio est quod, cum tali restrictioni subsit sensus verus, Deus non vocatur in testimonium falsitatis; aliunde id potest esse necessarium ad jus nostrum tuendum, ut supra (n. 415) de simplici restrictione late mentali dictum est.

Quodsi deesset justa causa, tale juramentum probilius non esset nisi veniale peccatum: nam adsunt veritas et justitia; deficit tantum judicium, cuius deficientia non est nisi venialis. (S. Alph. l. c.) Cfr. n. 303. Grave tamen foret, sine justa causa, cum restrictione jurare in celebrandis contractibus onerosis vel mutuis, aut in legitimo judicio. Nam in his requiritur ut in sensu alterius partis vel judicis legitimate interrogantis respondeatur, ne laedatur justitia vel oboedientia. Idem dicendum foret, si quando ex hujusmodi juramento aliquod grave incommodum proximo oriturum praevideretur. (Ball. P. n. 57)

Applicationes plurimas hujus doctrinae exhibet S. Alph. (n. 153 seqq.), quarum plures suo loco in decursu Theologiae Moralis proponuntur. Hic sufficient sequentes:

1º Qui indiget bonis absconditis ad sustentationem, potest coram judge jurare se nihil habere. Similiter heres qui occultavit bona, si non teneatur ex illis satisfacere creditoribus, potest judici respondere se nihil occultasse, subintellegens *de bonis quibus satisfacere teneatur*. (S. Alph. n. 158) Cfr. n. 669.

2º Qui mutuum accepit, sed postea satisfecit, potest jurejurando negare se accepisse mutuum, subintellegens *ita ut debeat solvere*.

3º Qui a fure vi cogitur ad promittendam pecuniam cum juramento, potest subintellegere: *Dabo si tibi debuero, secluso juramento*. (S. Alph. n. 159)

4º Obligatus ad secretum potest jurare se nihil manifestasse, si nihil manifestavit eorum quae sub gravi tenebatur celare.

5º Qui obligatur ad munus aliquod ineundum, potest Superiori id exigenti juramentum praestare quod nulla commendatione hoc munus procuraverit, licet reapse eam occulte adhibuerit, subintellegendo *ita ut sit probabile in iudicio*. Ratio est: neminem teneri ad fatendum proprium crimen, ubi deest infamia vel probatio semi-plena. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 42. n. 48) Sed nulla restrictio adhiberi potest ubi libertas datur munus vel promotionem non accipiendi, ex. gr. ubi promovendi ad sacros ordines interrogantur de natalibus, censuris, irregularitate, etc. vel matrimonium contracturi de impedimentis. Nam tunc deest excusatio quae in priore casu habebatur: libertas enim datur renuntiandi ordinibus, matrimonio, etc. si quis nolit sincere veritatem aperire. Huc videtur spectare prop. 28a ab Innoc. XI damnata: "Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum." (Ball. P. n. 52)

6º Uxor, quae occulte adulterium commisit, jurare potest marito petenti se non commisisse, subintellegendo *ita ut teneatur ei manifestare*. (S. Alph. n. 162)

7º Requisitus ad mutuandam vel donandam pecuniam potest jurare se non habere, quamvis habeat, dummodo aliquatenus ex adjunctis, vel potentis, vel respondentis, intellegi possit eum intendere se non habere superfluum quod det vel mutuet. (S. Alph. n. 163)

8º Potest quis coram notario asserere se accepisse pecuniam quam non recepit, sed pro accepta habet: nam, si remittit, perinde est ac si acceperit. (S. Alph. n. 167; Ball. P. n. 55)

## CAPUT II.

## DE DETRACTIONE.

**418. NOTIONES.** Detractio est injusta famae alienae laesio.

*Fama* (ut in hac definitione sumitur) est bona existimatio multorum de aliquo bono alieno. Singulorum tamen existimatio de hoc bono eadem voce comprehenditur, tamquam pars illius opinionis communis qua fama constituitur: quare etiam laesio existimationis apud singulos constituit detractionem.

*Bonum* quod famae tamquam objectum assignatur, *primario* completitur ea quae ad honestatem pertinent, nempe virtutes; *secundario* tamen continet alia quae perfectionem quamcumque homini afferunt, vel intrinsecam, ut sapientia, bona indoles, pulchritudo, vel mere extrinsecam, ut nobilitas, legitima natalia, opes, etc. (Lugo, de Just. et J. disp. 14. n. 2)

Aliqui AA. (ut Gury, I. n. 445) definitioni detractionis modo datae addunt "per verba occulta", : quod convenit cum S. Th. (2. 2. q. 73. a. 1) Hoc tamen discrimen spectat ad quaestionem meri nominis, nempe utrum laesio alienae famae per facta vel per verba, coram infamato prolati, dicenda sit contumelia an detractio contumeliae conjuncta.

Per detractionem laedi possunt ii omnes qui fama apud audientes gaudent: ergo etiam *mortui*, quamvis soleat detractio erga eos esse levior ob minus detrimentum, et *personae morales*, ut civitas, ordo religiosus, etc., non autem, probabilius, ii qui in quodam loco omnino ignoti sunt, utpote fama ibidem carentes.

Distingui solet detractio *directa* et *indirecta*: quam tamen divisionem alii aliter intellegunt. Quidam, ut Busemb. (S. Alph. n. 966), directam seu formalem dicunt eam quae fit ex intentione famam laedendi; indirectam seu materialem, eam quae fit ex aliqua levitate et loquacitate. Alii, ut Lehmk. (I. n. 1137), divisionem hanc referunt ad modum quo fama laeditur; quare directam dicunt detractionem si quid clare narratur, indirectam si tacendo aliquid insinuatur, ex. gr. frigide laudando, in communi laude aliquem notanter praetereundo, etc. Nos eam distinctionem in priore sensu adhibebimus.

Si fama laeditur imponendo alteri crimen vel defectum falsum, haec *calumnia* dicitur; si laeditur manifestando crimen vel defectum verum, manet *detractio simplex*.

**419. ASSERTA. I.** Detractio ex genere suo est *peccatum mortale*: nam "auferre alicui famam valde grave est: quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo a multis bene agendis." (2. 2. q. 73. a. 2) Idem patet a fortiori ex gravitate furti, siquidem fama praestat bonis fortunae, juxta illud Prov. (XXII, 1): "Melius est nomen bonum quam divitiae multae.", Cfr. S. Th. I. c. a. 3.

Hinc mortaliter peccat qui verba quaedam profert quibus intendit notabiliter laedere alienam famam, vel qui, sine hac perversa intentione, quaedam profert e quibus praevidebat probabiliter oriturum esse grave documentum famae alienae.

Fieri autem potest ut laesio famae per se exigua sit, sed apta ad grave damnum in bonis alius generis inferendum, ut si quis narraret garrulum esse eum quem audiens ad munus secretarii assumere vellet. Sic peccato levi detractionis adderetur gravis laesio caritatis vel justitiae.

**II. Specie non differt** detractio directa ab indirecta; sed haec saepissime propter imperfectionem actus excusat a peccato mortali. (Struggl, tr. 7. q. 6. n. 10) Neque specie differunt detractio simplex et calumnia: nam utraque laeditur idem jus proximi ad famam et per accidens est quod hoc vel illo modo laedatur. Accedit quidem in calumnia malitia mendacii: sed haec, prout veritati adversatur, non est mortalis ideoque non est necessario in confessione explicanda. Saepe tamen expedit ut confessarius de hoc discriminine interroget, praesertim ut sciat quatenus et quomodo sit reparanda fama injuste laesa.

Tandem communiter non admittitur discrimen specificum in detractione pro diversis materiis in quibus versatur: quia fama semper est eiusdem speciei in genere moris. (Ball. P. de Pecc. n. 269)

**420. III.** Ut cognoscatur num aliqua detractio probabiliter apta sit ad *grave documentum* famae alienae inferendum, consideranda sunt adjuncta tum detrahentis, tum illius cui detrahitur, denique etiam illius coram quo detractio profertur. Singula enim, ut patet, in hoc judicium prudenter efformandum influunt. Hinc:

1º Potest esse detractio levis, quamvis id quod de proximo narratur sit peccatum grave, et contra potest esse gravis detractio, licet id quod narratur sit peccatum veniale vel etiam defectus inculpabilis. (Lugo, I. c. n. 49) Sic regulariter non graviter laeditur fama adolescentis saecularis et parum pii, si dicitur eum desiderare feminam ad peccandum; similiter, si de milite narratur eum duellum commisso, etc. Graviter vero detrahit qui de religioso bene morato dicit eum dignitates ambire et virtutes ad hunc finem fingere, vel qui manifestat illegitima natalia viri locum honoratum occupantis, etc.

2º Potest detractio gravis esse, licet nihil in particulari significes, sed dicas tantum aliquid esse quod, si manifestares, proximum gravi rubore afficeret: nam hoc satis est ut alii de eo quem designasti sinistre opinentur et fortasse aliquid pejus cogitent quam sit illud quod dicere potuisses. (Lugo, I. c. n. 50)

3º Regulariter levis detractio est revelare defectus mere naturales, dicendo ex. gr. aliquem esse imprudentem, stupidum, spuriū, etc. Haec enim minus laedunt famam quam quae voluntaria sunt; insuper plerique, natura sua, publica esse solent. Idem dicendum de eo qui tantum in genere alium vocat iracundum, superbū, invidū, etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, neque ea propalare solent sicut facta determinata. (Bus. ap. S. Alph. n. 967)

4º Manifestare defectum occultum gravem proximi uni prudenti viro, qui rem secreto servaturus sit, alii (ut Lugo, I. c. n. 51) grave reputant: alii tamen probabilius cum S. Alph. (n. 973) leve aestimant: quia talis

laesio non infert notabile nocumentum famae, quae *adaequate* in multorum, non in unius aestimatione consistit.

5º Culpa saltem gravi vacat qui injuriam acceptam alicui amico prudenter manifestat ad dolorem suum hac manifestatione leniendum, etsi ex ea quaedam infamatio proximo aveniat: hanc enim, ob bonum quod prosequitur, permittere potest. Cavendum tamen ne pluribus dicatur vel ne apertius nominetur persona quam necesse sit ad solatium habendum. Sic famuli, uxores, religiosi, etc. detegere quandoque possunt injurias sibi ab hero, marito, praelato, etc., illatas. (S. Alph. l. c. ; Lugo l. c. n. 54)

6º Qui refert tantum peccata aliorum occulta *ut ab aliis audita*, regulariter non peccat mortaliter, quia audiētes plerumque non sunt creduti, ac proinde nulla gravis infamatio inde secutura est. Attamen mortaliter peccaret: a) si audita referret coram iis qui ex levitate vel malitia sua probabiliter credituri sint: nam, licet hic non laedatur graviter justitia, quia non ponitur causa efficax damni, graviter tamen laeditur caritas, quae jubet impedire grave damnum proximi quatenus id commode fieri potest; — b) si audita ita referret ut audiētes merito credituri videantur, ex. gr. asserendo ea audita esse a persona fide digna; — c) si repeteret rem adeo enormem ut sola illius suspicio grave nocumentum famae proximi inferret, ex. gr. sodomiam a sacerdote commissam esse. (S. Alph. n. 977; Lugo, l. c. n. 55 seqq.) Attamen in hoc ultimo casu, putarem saepe abesse gravem famae laesionem eo quod, ob rei enormitatem, ne suspicio quidem admitteretur.

7º Qui in una materia famam amisit, eam omnino servat in materia prorsus disparata; sic, si quis notus est ut luxuriosus, manet grave de eo furtum occultum in re notabili manifestare. Saepe tamen novum crimen de infamato manifestare vel fingere, leve est, quia ob conexiōnem cum priore jam nota fama parvum patitur detrimentum, ut si dicas adulterum misisse litteras amatorias; quandoque etiam nullum peccatum erit, quia nullum fit famae detrimentum, ut si fingas meretricem adulescenti insidias struxisse. (Lugo, l. c. n. 58)

8º Graviter peccat qui Ordini vel statui alicui religiosorum in communi, vel monasterio detrahit, dicendo ex. gr. quod in eo male vivatur, non servetur regularis disciplina, etc., nisi id plane notorium sit. Similiter, qui, tacita persona, nominat monasterium vel Ordinem religiosum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, ex. gr. adulterii vel fornicationis, commiserit. (Bus. ap. S. Alph. n. 978)

**421. IV.** Licet ubique, absque alia causa excusante, manifestare crimen ob quod aliquis **publica et legitima sententia** damnatus est. Nam **judex**, ob rationes bono communi omnino consentaneas, intendit

reum jure ad famam in hac materia privare. Ideo, sicut ipse sententiam suam, quantum potest, publici juris facit, ita reliquis facultatem tribuit eamdem ubique propalandi ut omnes sibi a scelestis hominib⁹ cavere queant. (Lugo, l. c. n. 72)

Semper etiam licet instaurare memoriam legitimae condemnationis, si quando abolita esset: facultas enim legitime data vim suam jugiter exserit. (Lugo. l. c. n. 77) Attamen caritatem laederet qui memoriam pristini sceleris instauraret in iis adjunctis in quibus praevideret hanc fore aliis occasionem habendi tamquam adhuc pravum eum qui se jam penitus emendasset.

**V.** Si crimen aliquod, absque sententia judiciali, **publicum evasit** in aliqua communitate, licet illud manifestare saltem ejusdem communitat⁹ membris, quibus adhuc incognitum esset. Nam communis utilitas postulat ut unicuique liceat de rebus publicis libere loqui. Sic enim fit ut unusquisque absque errore cognoscatur qualis revera est, et removentur magna incommoda quae enasci solent ex eo quod improbi vel imperiti pro probis et peritis habeantur. (Lugo, l. c. n. 61) Quot vero personis delictum notum esse debeat ut merito censeatur publicum, nequit ad amussim determinari. Sufficit haec regula generalis: rem censendam esse publicam si, attentis condicione communitatis, personarum qualitate ceterisque adjunctis, jam moraliter nequeat ulterior manifestatio impediri. (Lugo, l. c. n. 70)

Idem crimen manifestare iis qui non pertinent ad eam communitatem in qua publicum evasit, non licet, si agitur de *communitate restricta*, ex. gr. monasterio vel seminario: nam tales communitates saepe ea quae omnibus membris suis nota sunt, tamquam secreta servant, neque ulla ratio generatim ulteriore propalationem justificat. Ideo delictum publicum in uno monasterio nequit sine detractione manifestari in alia etiam ejusdem Ordinis domo. (S. Alph. H. A. tr. 11. n. 12) At si agitur de communitate patenti, ita ut res dicenda sit *simpliciter et absolute publica*, probabile est eam licite posse manifestari non tantum in iis locis ad quae certo haec fama deventura est (quod fere omnes concedunt), sed etiam in iis ad quae, ob distantiam vel rarum commercium, non videtur per ventura. Ita opinantur Lugo (l. c. n. 80) et S. Alph. (n. 974), qui tamen id restringit ad crimina quae reddant hominem perniciōsum et ab aliis vitandum, ut sunt crimina homicidii proditorii, lenocinii, scandalosae impudicitiae et sinilia. Ratio quam affert Lugo, et quae de omnibus criminibus vel defectibus procedit, haec est: expeditre ad bonum publicum quod unusquisque ab aliis cognoscatur qualis publice est, ne alii in relationibus quas cum eo habeant decipientur.

Si res quae facta tantum publica evaserat, postea *oblivioni tradita*

est, jam non licet eam in memoriam revocare. Id tamen alii, ut Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 11. n. 82), soli caritati, alii, ut Lugo (l. c. n. 85), probabilius etiam justitiae adversari opinantur: nam per illam oblivionem res in eo statu reposita est in quo erat antequam divulgaretur, ideoque jus ad famam reviviscit.

Quandoque tamen ratio boni communis efficit ut crimina jam obli-  
vioni data licite iterum in memoriam revocentur. Hoc praesertim con-  
tingit in historia scribenda, ob multiplicem utilitatem quae inde dimanat.  
Per accidens tamen id illicitum esse potest. ob scandalum inde secu-  
rum, puta si quaedam delicta personarum ecclesiasticarum pandantur.  
Verum hodie, ob ingentem sribentium et archivia scrutantium nume-  
rum, plerunque talis manifestatio impediri nequit, ac proinde saepe  
praestat ut cum debitibus cautelis a viro catholico fiat quam Ecclesiae  
adversario relinquatur. In recentioribus factis narrandis cavendum est  
a damno quod inde pati queant personae adhuc viventes. (Ball. P.  
n. 71 seqq.; Lehmk. I. n. 1183)

**422. VI.** Ob justam causam licet manifestare alienum crimen vel  
defectum occultum, dummodo ea manifestatio ad finem intentum neces-  
saria sit, neque ultra hujus necessitatis limites extendatur. Nam jus ad  
famam in eo qui probitatem vel peritiam tantum existimatam habet, non  
est absolutum ut in eo qui vere probus et peritus est. Oritur enim unice  
ex eo quod, ad multa incommoda vitanda, oportuit defectus occultos non  
publicari nisi in iis circumstantiis in quibus ad commune bonum expedit  
eorum publicatio: in quibus casibus juri huic limitato, ne quis a fama  
quam possidet deturbetur, praevaleret bonum commune quod ex liceitate  
talis manifestationis oritur. (Lugo, l. c. n. 97) Numquam vero licet  
calumniam proferre: hoc enim, utpote intrinsece malum, numquam  
medium justum ad vitandum proprium vel tertii damnum fieri potest.  
Quare damnata est ab Innoc. XI prop. 44<sup>a</sup>: "Probabile est non peccare  
mortaliter qui imponit falsum crimen alieni ut suam justitiam et hono-  
rem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis  
in theologia."

Justa illa causa desumi potest quandoque ex utilitate, praesertim spi-  
rituali, illius cuius fama minuatur. Cfr. dicta de correctione fraterna  
n. 225. Saepius desumitur ex utilitate revelantis, vel tertii, vel etiam e  
bono publico procurando. Neque requiritur probabilius ut revelans  
timeat damnum suum vel tertii aequale damno quod fama proximi pas-  
sura sit, sed sufficit ut timeatur damnum grave ac notabile (Lugo, l. c.  
n. 112; S. Alph. n. 968) Quare, cum agitur de conferendo officio, de  
contrahendo matrimonio, de suscipienda religione, de assumendo medico,  
praeceptore, famulo, etc. licet, immo aliquando oportet manifestare

occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile  
aliquid incommodum merito timeretur. (Bus. ap. S. Alph. l. c.) Aliam  
applicationem habes in reo revelante testium crimina (Vol. II. n. 12). Ob  
rationem autem boni communis excusantur qui, qua voce, qua scripto,  
divulgant crimina vel defectus eorum qui se tamquam candidatos  
comitiis proponunt, neque publicis muneribus digni sunt: sed crebro in  
his adjunctis limites necessitatis plurimum exceduntur.

Specialis difficultas est: quousque liceat manifestare crimen cuius  
notitia injuste acquisita sit, ex. gr. aperiendo litteras. Prorsus tenenda  
videtur sententia Lugonis (l. c. n. 100) quam sequitur S. Alph. (n. 969).  
Nempe generaliter illicitum est uti tali notitia ob quodcumque damnum  
proprium vitandum: quia actio injusta qua tu secretum accepisti, obligat  
te ad restituenda omnia damna propter illam proximo obventura, ac  
proinde ab abstinentia a novo damno eidem inferendo. Id licitum fieret  
tantum in iis adjunctis in quibus tibi licitum esset, etiam per vim et  
fraudem, secretum hoc exquirere, ex. gr. aperiendo litteras: tunc enim  
ipse status praesens dat tibi jus hoc secreto injuste cognito utendi, fere  
ut licet furi in extrema necessitate consumere ea quae secus restituere  
deberet. Hoc praesertim continget si alter injuste te vexaret, neque  
alia ratione te tueri posses. Cfr. dicenda de litterarum apertione n. 433.

**423. VII.** De reatu illius qui **detrractionem audit**, haec praecipue  
tenenda sunt:

1º Qui alium inducit ad detrahendum peccat graviter vel leviter con-  
tra justitiam, prout gravis vel levis est laesio famae ad quam alterum  
impellit: est enim injustae laesiones causa efficax.

2º Qui delectatur in detractione gravi propter odium ejus cui detrahi-  
tur, graviter peccat contra caritatem: nam de gravi damno proximi  
gaudet. (2. 2. q. 73. a. 4) Probabilis tamen non peccat graviter qui de  
detrractione delectatur, non ex odio proximi, sed ob voluptatem quam  
parit auditio rerum occultarum praesertim criminum, ideoque e vanitate  
vel curiositate tantum. (S. Alph. n. 979)

3º Persona privata quae detractionem, quando commode potest, non  
avertit vel non impedit, ob verecundiam, timorem vel neglegentiam, non  
peccat nisi leviter, modo praeter infamiam aliud damnum ex detractione  
non accedit. Theoretice quidem videretur id de peccato mortali arguen-  
dum: siquidem omittitur correctio fraterna, quae per se sub gravi obli-  
gat. Sed practice plerumque haec omissione levis est, ut diximus n. 223,  
ob alicujus condicionis requisitae defectum. In specie quod ad praesen-  
tem materiam pertinet, notandum cum S. Alph. (l. c.) difficillime con-  
stare de correctionis successu, facilime offendit detrahentes coram aliis  
correptos. Immo periculum esse ne ii potius augeant vel confirmant

detectionem; quae rationes tales sunt ut probent plerumque absque ulla culpa omitti detrahentis correctionem. Adde cum Busemb. (ap. S. Alph. ib.) : audientem saepe nescire num id quod dicitur notorium sit, tametsi ab ipso ignoretur, et in dubio non esse cur damnet loquenter; hunc insuper habere posse justam causam aliquid manifestandi, praesertim uni soli. Certe a veniali excusantur qui, advertendo detectionem, discedunt, sermonem divertunt, faciem tristem ostendunt, etc.

Superior autem sive detrahentis, sive ejus cui detrahitur, graviter peccat contra caritatem si, audiendo detectionem, eam non avertit, quando commode potest: quia ipsi incumbit specialis obligatio corrugendi detrahentem vel damno infamati obviandi. Probabilius tamen non peccat contra justitiam ideoque ad restitutionem non tenetur. Cfr. n. 546 et S. Alph. n. 979 seqq.

**424. VIII. Infamare seipsum** per se non est peccatum grave: Id enim non adversatur justitiae, siquidem homo famae suae perinde ac pecuniae suae dominus est; neque caritati, siquidem dilectio sui non obligat ad conservanda ea bona externa, quando non sunt necessaria ad salutem spiritualem vel corporalem. Ideo qui prodigit famam suam, per se non magis peccat moraliter quam qui pecuniam suam prodigit.

Prodigere famam est per se peccatum leve, utpote famae usus irrationalis, sicut a veniali immunis non est qui pecuniam *absque ulla causa rationabili* expendit ac profundit. Accedit quoque leve peccatum mendacii si quis falso crimen sibi imponit. Insuper per accidens grave peccatum erit, nempe si fama quam prodigis necessaria est muneri tuo obeundo vel si alii inde patiuntur gravem infamiam et similia damna. Non peccat tamen qui crimen a se commissum judici fatetur, etiamsi propterea morte plectendus est: nam ita minime causa est sua mortis, sed procurat tantum id quod in se rectissimum est, nempe ut ab eo qui legitimam auctoritatem habet juste puniatur. (Lugo, l. c. n. 153 seqq.) Sin autem finis honestus intenditur, ex. gr. demissio propria vel liberatio proximi ab injusta vexatione, per se laudabiliter fama minui vel dimitti potest.

N. B. De famae laesae restitutione agemus in tr. de Just. et Jure, n. 562 seqq.

## CAPUT III.

## DE JUDICIO SEU SUSPICIONE TEMERARIA.

**425. NOTIONES.** Hic spectamus tantum illam *internam* existimationem de vita et moribus proximi in qua, saltem inadaequate, illius fama consistit. Status autem mentis nostrae hanc existimationem intuentis, potest esse multiplex, ut circa quodlibet ejus objectum contingit, nempe: *judicium certum, dubitatio, opinio, suspicio*. Cfr. n. 51. Claritatis causa notandum est, etiam in dubitatione, qualis in praesenti materia sumitur, scilicet cum advertentia quae ad peccatum sufficiat, conjungi aliquem assensum, eumque firmum. Quare varii isti actus distinguendi sunt, secundum rem in quam cadit assensus. In judicio temerario assensus cadit in alterius malitiam tamquam certo perspectam; in dubitatione cadit in defectum motivi ad judicandum utrum quis sit bonus an malus; in opinione cadit in probabilitatem malitiae alienae; in suspicione tandem cadit in hoc complexum: *forte res ita est*. (Ball. P. n. 12)

Singuli illi actus de proximi malitia elicti culpa vacant, si adest ratio sufficiens ad eos elicendos, ut si judicares aliquem esse malum eo quod istud ab aliquo viro probo et fide digno audisses: nam ita elicuntur modo qui prorsus cum natura rationali congruat. Temerarii vero fiunt quando desunt motiva proportionata ad singulos assensus dandos, ex. gr. si famulum certo judicares furem esse ob adjuncta quae prudenti tantum suspicioni sufficienter. Attamen, ex humanae mentis natura, impossibile videtur ut demus assensum quando distincte perspicimus deesse rationes sufficientes assentiendi. Quare temeritas illa locum habebit tantum quando intellectus talem insufficientiam rationum in confuso advertit, sed a mala voluntate impellitur ad assensum motivis levioribus dandum. (Ball. P. n. 13)

Adverte AA. maxime discrepare in ratione nominandi vel explicandi hos varios actus intellectus. Nec mirum: nam tangitur theoria satis obscura de natura judicii erronei.

**426. ASSERTA. I. Judicium temerarium** ex genere suo est peccatum grave.

Ita communissime sentiunt AA. sed in assignanda ratione non nihil discrepant. Praeplacet sententia Lessii (de Just. et J. l. 2. c. 29. n. 21): "Quia talis suspicio non procedit ex errore humano aut